

QUÆSTIO MEDICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,



Die Jovis 8 Februarii 1720.

M. JOANNE-DAMIANO CHEVALIER,

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An Febribus intermittentibus Alcalia?

I.

NATURALIUM rerum notitia, opinione & conjecturis ferè tota continetur. Pauca admodum ſcientiâ conſequi datur mortalibus. In rebus medicis quicquid habes certi, id *anatomicis* demonſtrationibus primùm, deinde *mechanices* legibus, poſtremò obſervationibus acceptum referas. Hinc quantùm ſit in *ſyſtematibus* vacuum & inane, quàm fallax & exitioſum artis medicæ praxim ad eorum fictiones adaptare, nemo ſanæ mentis non deprehendit. Corporis humani partium ſtructuram, plurimos uſus, cum aliis partibus conſenſus varios oculis ſubjicit *anatome*. Fluidorum circuitus *autopſiâ* innoteſcit: modum docet *mechaniſmus*. Ex his exſurgit plurimorum morborum cognitio. Hos inter inflammatorios numerabis, apoplexiam, icterum, hydropem & alios benè multos. Ad horum curationem, peritus animalis *œconomiæ*, quaſi manu ducitur Medicus. Sanguini enim hærenti, ceſpitanti, aut ſecretionum intermiſſioni ſuam debent originem. Sunt verò non pauci, quorum ut natura ignota, ſic eorumdem curandorum methodus demonſtrari non poteſt *à priori*. Iis ergo profligandis ea ſunt adhibenda remedia quæ uſu & experientiâ conſtat cæteris antecellere.

I I.

ARS medenti jam ab antiquo *a* exiſtit. Et principium & via inventa, per quam « inventa & multa & probè habentia comperta ſunt. Per multum adeò tempus « & reliqua deinceps invenientur. « Ars ergo longa. Hoc autem non aliundè magis

a Hippocrates de veteri medicinâ, III. 8. *Vander Linden interprete*.

quàm ab ignotâ quorumdam morborum causâ deducendum existimes. Nam *morbum novisse, morbum sanasse* b. Morbos verò quorum natura vel ex *anatome*, vel ex *mechanismi* legibus non innotescit, quomodo sanare aggredieris, nisi aut tuâ aut alienâ fretus experientiâ? per varias igitur variorum auctorum observationes ad medendi scientiam erudiri Medicum necesse est. At observationum nomine non solùm medicamenta, sed & eorumdem selectum & utendi modum comprehendito. Plura sunt enim: verùm alia aliis efficaciora: quæque tamen suo modo morbum cujusdam speciei certò depellere idonea: *paradoxon* sibilas? cave ne censurâ præceps *axiomati* deneges assensum. Argumentum efflagitas quod rei dubiæ faciat fidem? ausculta. Quod hodie potuit aliquid efficere, cras idem præstet (cæteris paribus) consequens est. Quid? cœcam dices Medici sicut & *Empirici* fortunam? turpiter erras. Pendet enim curationis felicitas ab idoneâ faciendi opportunitate. Morborum autem differentias & parilitates, tempora & opportunitates exhibendorum specificorum dignoscere, non Circulatoris est, aut *Empirici*, sed unius ad naturam facti fictique Medici. Hujus eruditæ sagacitati patet, quod superbientes cucullatos, loquaces mulierculus, mendaces *Empiricos* latet fugitque. c *Natura etenim variè stimulata aut impulsa, quid faciendum, quid omittendum, quidve eligendum sit artis peritis demonstrat.* Et quis artem non miretur, non colat, quæ vel ipsissimis ægritudinibus, quorum natura tam densis obsita est tenebris medendo non impares informat artifices! ex horumce morborum censu, quos obscuros vocat Hippocrates d, febrem intermittentem esse, nemo, opinor, non facilè assentietur.

III.

FEBRIS intermittens est quæ per intervalla diversis redit *paroxysmis* tempore intercalari ab omni febre penitùs vacuo. Definiri potest affectus præter naturam primum frigore non rarò horrore; deinde ut plurimùm insigni calore, siti, *cephalalgiâ* molestus. Diversa pro diverso interstitio sortitur nomina. Alia tertiana dicitur quæ diebus alternis; alia quartana, quæ post biduum invadit. An verò quæ singulis diebus ægrum torquet quotidiana, aut tertiana duplex appellanda sit, res est nullius momenti. Proximam febris causam alii à bile & pituitâ, alii à flatibus, alii ab acido fermento, alii & ab humorum copiâ & à diaphoresi imminutâ repetendam censent. Quanquam à quibusdam ex hisce causis febres oriri, quandoque contingat; attamen parùm inde morbi hujus *ætiologiam* illustrari fatendum est. Non enim semper cum febre concurrunt hæ causæ, nec febris cum illis. Hinc Medici haud ignobiles peculiare quoddam venenum febrium causam asserunt e. Quid est aliud quàm febris causam sibi ignotam apertè significare? & quidem Philosophum se aliquid nescire ingenuè fateri nec turpe est nec indecorum. Fare, age; qui hujus naturam nosse gloriantur, num feliciùs ægrotantes sanitati restituunt? nequaquam. Ergo plus superbi-loquentiæ produnt quàm scientiæ. Reverà qui febricitantium curationem bilis & pituitæ evacuatione tentarunt, non rarò parùm aut nihil profecêre. Sæpè sæpiùs enim, dilutis licèt, atque *catharsi* vacuatis (ut opinabantur) vitiatis humoribus, febris crudeliùs sæviebat f. Huic itaque medendi methodo *specifica*, (*antidota* vocabant) adjungere cogebantur g. Innumera ferè sunt quæ invexit ætas subsequens. Horum efficacissima, nemine (ante inventum corticem peruvianum) reclamante, *Alcalia* comperta sunt.

b *Idem de Arte* XX. 4. c *Idem ibidem* XXII. d *Ibidem* 2. e *Mortonus* B*idus. Protopastarius. Vide Mortonum de Febribus. c.* 3. & 7. f *Vide VVillisium de Febribus. c.* 4. g *Vide Alexandrum Trallianum lib.* 12. *c.* 7. & *c.* 8.

h Quina Jesuitarum neminem hîc sanavit. Nunc de eo nullibi mentio habetur.
Barbarus ipse jacet sine ullo nomine pulvis. *Idem ibidem epist.* C X.

IV.

INTER omnia antifebrilia, ut nullum postea celebratum magis fuerit quàm cortex peruvianus, nullum tamen difficilius apud Medicos fidem obtinuit. Non spernendum interea Pharmacum; imò & in pluribus aliis morbis ac in febre intermittente proficuum. Jacuit nihilo secius per annos ferè quatuordecim inglorium: vel quòd illius temporis methodici omnes specificas proprietates, tanquam Empiricorum illusiones, ludibrio haberent *i*, vel quòd nullâ lege, nullâve methodo à circulatoribus exhibitum spem ægrorum sæpè sæpiùs falleret *l*. At ex quo cœpit à Medicis exhiberi, pulvis ille Jesuiticus feliciorem nactus sortem ad eum honoris gradum evectus est, ut cæteris jam dudum expertis *febrifugis* longè anteponatur. Fallacem tamen (heu nimiùm!) pulverem dolent etiamnum ægri simul & Medici. In vitio sit genuini aut inefficacia, aut inopia, vel exhibendi ratio, vel casuum, in quibus certò opitulatur, cognitio difficilis & intricatior: videant quorum interest ejus famam tueri. Hoc certò constat ex unanimi Medicorum consensu, quòd non solùm pluribus noxius sit, verùm adulterinus, fucatus & mille modis vitiosus *m*. Quàm igitur anxium & ex eventu sollicitum decet esse Medicum, qui corticem hunc præscribit, quem non elegerit & probarit! In eligendo autem labor. Non colori credat nimiùm, non sapori, non utrique. Olfactu præsertim genuinus agnoscitur. Hei! si, vel *non cuique datur habere nasum n*; vel huic quoque sensui imponere norit avara venditorum nequitia. Quantò igitur præstantiora debent existimari ea *specifica*, quæ si minus majori, saltem æquali virtute prædita, iis carent vitiis quibus *Kina Kina* obnoxius est? Talia sunt non unius tantùm generis *alcalia*. Semper prostant, eaque genuina; nemini nociva, adulterari nescia. *Alcalium* nomine intelligi corpora, aut ex iis elicitos liquores qui cum acidis permixti *fermentescunt*, & acidorum aculeos obtundunt, nemo est qui nesciat. Ex plantis, ex mineralibus & animalibus suppetunt. Alia salina, alia terrea, alia *fixa*, alia *volatilia*. Quâ ratione febrem fugare possint inquiris? non quî fiat, sed an fiat inquirendum Fieri autem testes sunt quàm plurimi tum præsentis, tum ante actorum temporum *practici o*. Horum non pauci ea cortici peruviano, ut potè quæ citiùs & tutiùs & sine *recidivæ* metu ægros à febre liberarent, anteposuerunt *p*: nonnulli suâpte experientiâ edocti prædicare debuissent anteponenda *q*.

V.

VIDEN' quàm firmo quàm stabili fundamento nitatur assertio nostra? nunc age; num ex ipsâ febris intermittentis ratione formali ea confirmari possit, experiamur. Invadente *paroxysmo* extremæ partes membrorum inalgescunt; quid inde innuitur? nempe interclusos quâcumque ex causâ meatus *perspirationi* dicatos. Tunc excretiora vasa primùm, deindè quorum hæc sunt processus, lymphatica opplentur. In iis lentescunt, hærent succi, vel foras amandandi, vel venis restituendi. Porrò frigere corporis *peripheriam*, extremaque membra necessariò consequitur, cum liquoribus negatur circuitus liber & facilis. Crescente dein obice distorqueri; stringi magis ac magis, arctarique arteriolas cuique est obvium. Horum *fibrillæ* nerveæ cùm sint, ac proindè sensiles admodum, & contractiles, *spasmo* corripiuntur; unde cutis corrugatio. *Spasmus*, per nervorum longitudinem undulando, ad partes usque dissitas excurrens quàm varia inducit *pathemata!* tremore & horrore totum corpus intremiscit & quatitur, cùm in musculorum tunicam & artuum ligamenta *spasmus* terminatur. Repit ad

i *Patinus epistola CIV. T. 1.* l *Mortonus c. 8.* m *Idem ibidem.* n *Martial. Epigram. lib. 1. Epig. XLII.*
o *Crollius, Mynsichtus, Strobelbergerus, Riverius, Barbette, Etmullerus. Poterius, Kergerus, de quibus consulatur Etmullerus de febribus intermitt. c. 2.*
p *Harris, de morbis acutis infantum. Barbette, de febribus; Etmullerus ibidem.*
q *Mortonus, de proteiformi intermittentis genio, cap. 9. Historiâ XXIX. & XXX.*

cerebri meninges? Hemicraniæ & cephalalgiæ habes auctorem. Ventriculi & intestinorum membranæ convelluntur? Nauseâ, vomitu, diarrhæâ febris stipatur. Cumulatur interea sanguinis moles arteriis coercita: undè ad occillationes fortiores crebrioresve cogi & stimulari eas & cor ipsum, evincit *mechanismus.* Nam resiliunt liquores obicem nacti, & in potentiam impellentem motu retrogrado aguntur. Sic quod unicâ cordis *systole*, adjuvantibus arteriis, ad partes usque extremas, si liberi essent tubuli & permeabiles, deferretur sanguinis, id vix pluribus propellitur ad eam partem vasorum quæ *spasmo* coarctatur. Ingeminant igitur ictus plus minusve, prout vasorum longior aut brevior capacitas succis ingurgitatur. Hinc calorem nasci intelligis? habes febrium intermittentium *ætiologiam solidorum systemati* accommodatam. Hæc si minùs evidenter demonstratur; certè hoc vel solo titulo cæteris anteponenda, quod ad naturæ leges propiùs accedat, & divini senis redoleat ingenium [r]. Nunc ex *alcalium* naturâ virtutem eorum conjicito. Corpora sunt dura, rigida, *inalterabilia*, in partes minutissimas dividi aptissima ac in exiles canaliculos permeare idonea. Si ante *paroxismum* exhibeantur, duriusculis suis, vasculorum parietes sustentant moleculis. Hâc arte tubulorum constrictioni occurritur; spasmus præcavetur; reseratæ servantur *Diaphores* viæ. Nec illud unicum. *Alcalia* naturæ laboranti præstant adjumentum. Si quid est liquoribus tenax, viscidum, ac everberantibus *solidorum occillationibus* inobediens, illud *Alcalium* ope, totidem cuneorum instar dividitur, atteritur, comminuitur. Hoc itaque modo *alcalia* non frigus & horrorem tantum, sed & calorem ipsum antevertunt. A *fermentatione* naturali sanguinis depressâ cum Willisianis [s] repetere mavis febrium causam ob admixtas sanguini *heterogeneas* & immiscibiles particulas? salibus *fixis alcalibus*, coralliis, margaritis &c. sanguinis *fermentatio* sustentatur & restauratur [t]. Placet in *fermentatione* præternaturali ab *acido* quodam excitatâ, febris naturam reponere? Et quodnam tam præsens remedium in frangendis *acidorum* aculeis & sopienda illâ *fermentatione* quàm *alcalia*.

r Nam dum contrahuntur venæ sanguine & coacto & congelato corpus & contrahunt, & tremere faciunt. *Hippocrates lib.* 1. *de Morbis.* XXII. 18.

s *VVillisius, de febribus, c.* 3. t *Idem, c.* II. *Mortonus, de febr. continent. exercitat.* 2. *c.* 7.

Ergo Febribus intermittentibus Alcalia.

Domini Doctores disputaturi.

M. Camillus Falconnet, utriusque Aulæ Equestris, Medicus ordin.	*M. Antonius Geoffroy.*	*M. Joannes-Desp. Peschard.*
M. Hyacint. Theodorus Baron, Scholarum Professor.	*M. Joannes Franciscus Coutier.*	*M. Philippus Fontaine.*
M. Joan. Nicol. de la Hire, è Regiâ Scientiarum Academiâ.	*M. Joannes-Baptista Mongin, Medicus Regis ordinarius.*	*M. Antonius Pepin, Pharmaciæ Professor.*

Proponebat Parisiis JACOBUS PHILIPPUS DAVIER DE BREVILLE, Parisinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1720 die octavo Februarii, à sexta ad meridiem.

Typis J. QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi.